



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

IV. Vt clerici cum viduis vel aliis extraneis personis non commorentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

III.

ANNO
CHRISTI
348.

In Concil.
Arelaten. 1.
cap. 3.
Et in Nicæ.
cap. 3.
Et in Eli-
ber. c. 27.

Gratus episcopus dixit: Et illud præcipue, si videtur vestræ dilectioni, cauendum est, vt pastoris cura, quantum debet & potest regularis prouidentia, præmoneat, vt nullis liceat, ab affectu abstinentibus carnali, apud extraneas pariter commorari. Occasiones enim amputandæ sunt peccatorum, & tollendæ omnes suspiciones, quibus subtilitas diaboli, sub prætextu caritatis & dilectionis, incautas animas vel ignaras irretire consuevit. Nullus igitur, nullaque sanctimonix & virginitati deseruiens, propter blasphemiam ecclesiæ, si vobis placet, in vna domo cum extraneis penitus commorari debent. Vniuersi dixerunt: Qui nolunt nubere, & pudicitix meliorem eligunt partem, hæc vitare debent. Et non solum non habitare simul, sed nec habere ad se aliquem accessum. Hoc ergo & lex iubet, & sanctitas vestra commendat, vt in singulis Conciliis statutum est. Gratus episcopus dixit: Ergo persuasio interdum prudentes solet arcere a peccatis, dum imprudentes debet metus huiuscemodi constringere, si sanum consilium respuunt, & salutare mandatum. Si ergo laici sunt, post commonitionem, si contempserint, a comunione separentur. Vniuersi dixerunt: Placet.

IV.

Gratus episcopus dixit: Etsi infinita sunt, quæ lege præscripta, proficientia sunt disciplinæ, & vnusquisque nostrum tractatu assiduo & commonitione frequenti, per singulas quasque species proficientes ad disciplinam, poterit populos inuitare;

tamen

ANNO
 CHRISTI
 348.

tamen aliqua ex eis propter blasphemias suggerenda sunt a nobis, & in Concilio statuenda. Si videtur vobis, pari sententia teneantur etiam hi, qui cum viduis commorantur, & nulla secum germanitate coniuncti sunt. Vniuersi dixerunt: Iuxta viduos & viduas eadem lex maneat, & sententia.

V.

Priatus episcopus Vegeselianus dixit: Suggesto sanctitati vestrae, ut statuatis, non licere clericum alienum ab aliquo suscipi sine literis episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia eius episcopi, de cuius plebe est. Gratus episcopus dixit: Haec obseruantia pacem custodit. Nam ^{Cap. 16. 18. 19.} & memini, in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet. Sed si forte erit necessarius, petat a collega suo, & per consensum habeat.

VI.

Necadius episcopus Culusitanus dixit: Credo ^{21. q. 3. Credo.} placere suggestionem meam sanctitati vestrae, & displicere vobis, ut qui seruiunt Deo, & annexi sunt clero, * non accedant ad actus seu administrationem vel procurationem domorum. Gratus episcopus dixit: Et apostolorum statuta sunt, quae dicunt: *Nemo militans Deo, ingerit se negotiis saecularibus.* Proinde ^{2. Tim. 2.} aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum. Vniuersi dixerunt: Hoc obseruemus.

*concurrant ad actiones in Can.

VII.

Casianus Vfulensis episcopus dixit: Statuat gratia
Concil. Tom. 3.

○